QUÆSTIO MEDICA.

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS MANE DISCUTIENDA IN SCHOLIS MEDICORUM,

Die Jovis 11. Februarii.

M. CLAUDIO BERGER, DOCTORE MEDICO, ET ACADEMIÆ CENSORE, PRÆSIDE.

An felicior & tutior in Balneo Purgantium usus?

I.

MEDICUS artem suam, salutis humanæ præsidem, divinitùs acceptam, divinitùs exercet; sanitatem quippe præsentem tuetur, fugientem revocat, amissam restituit, suaque dogmata & consilia universa ad hunc scopum dirigit; accuratè etiam perpendet momenta, quibus munus suum ritè possit implere: verum solus usus facit Artificem; & sicut Agricola aut Gubernator, sic Medicus non disputatione, sed usu fieri perhibetur: exploratum habet, & experitur sanitatem servari recto vitæ instituto, curatione methodicâ reddi, veris & genuinis indicationibus fultâ, quarum ope destitutus, & perversâ plerumque ratiocinatione delusus, ἄτεχνος ϗ ἀμέθοδος, cæcorum more curat, & turpiter labitur. Primas tenet Natura in curationis opere, quæ quicquid habet virtutis & authoritatis, secundum ipsam rerum veritatem, constanti rectaque ratione sustinet: hæc ut pacis amica, motos furentium humorum fluctus novit compescere, eosdemque aut emendare aut prorsùs abolere. Suam Medicus industriam omnem ad ejus imitationem componit, eamque attentè intuens, motuum ejus fit jugis & assiduus observator, ipsique pro re natâ suam opem subsidiariam conferendo, laborem ejus accelerat, accelerando promovet, promovendo perficit; & si quid incidat in corpus hostiliter sæviens, & in eo quidquam retineatur immoderatum, quodque in pristinam bonitatem reduci nequeat, cujus occursu & molestiâ, in obeundis vitæ muniis Natura interturbetur; Medicus ut fidus ejus Minister, statim præsto est, ut com-

muni operâ & ſtudio, mutuiſque conatibus ad Ægri ſalutem conſpirantibus, cacochymia calamitatum harumce turbarumque ferax expungatur tempeſtivâ purgatione, quæ veluti Medicinæ manus altera, tutior multò & felicior procedet, quo mitiùs exercetur & humores excernendi fluidiores fiunt atque dilutiores. His machinis male affecti aut è morbo nondum penitus recreati, auxilium præſentiſſimum experientur,

II.

OPES naturæ potiſſimum elucent in productione medicamentorum purgantium, quæ pro maximâ ſui parte è plantis prodeunt. Hæc è parente omnium tellure exoriuntur & ſurgunt, magnâ equidem ubertate & varietate diſtincta. Tot naturæ dona & morborum flagella expellendæ Cacochymiæ accommodantur: horum nullum eſt compoſitum ex pluribus præferendum ſimpliciori, ut magis naturali, cujus ſcilicet principia rectiùs & ſapientiùs permiſcentur. Veritati conſentaneum eſt, in iis, ut & in aliis ſtirpibus ſuccum nutritium circulari, cujus circulationis ope, puritatem, raritatem & perfectionem adipiſcitur. Purgantia quæcunque ſunt, calorem obtinent, quem partibus internis quas ſubeunt, furtim inurunt; hujus tamen caloris defectu manca eſſet vis illorum purgatrix: vis autem illa non temperiei reſultanti ex quatuor primarum qualitatum unione & contemperatione, ſed materiæ jure aſcribitur, quæ ipſi naturaliter, Dei conceſſu, infixa eſt & inſita, haud ſecus ac in cibis, ſubſtantiæ partibus nutriendis aptæ & familiares, ſunt innatæ; hæc propria unicuique ſubjecto materia nihil eſſe videtur in plantis & animalibus, quam ſpiritus ille inſitus calore & humore primigenio perfuſus, quem theſaurum verè æſtibilem, quandiu plantæ & animantes poſſident, tandiu vires ſuas & facultates cuſtodiunt: hujus ſpirituoſæ, tenuis ſubtiliſque ſubſtantiæ beneficio, cathartica mole licet minima, totum corpus ſubeunt & in ipſum diffunduntur, ſicut res odoratæ, mole quidem exiguæ, magnum aëris ſpatium implent. Illa duplicis ſunt generis; impropriè dicta, quæ obvium quemque humorem ſecum auferunt, exturbant & præcipitant; propriè verò, quæ humorem vitiatum cum delectu trahunt, adinſtar magnetis ferrum cominùs ad ſe allicientis: ſic cholagoga bilem, phlegmagoga pituitam eliciunt, magno ægrotantium ſolatio & commodo, dum notus humor, ſingularis morbi author, convenienti cathartico repurgatur, quem ut ſibi affinem & congenerem prolectat, & à cæteris ſuccis ſejungit. Neque verò purgans quodcumque exiſtimes privari illâ qualitate mordaci, quâ vellicatur Natura ad excludendum quidquid ſibi infeſtum eſt; habet enim hanc perpetuò ſibi comitem & adjunctam, cujus acrimoniâ, ut & humoris vacuandi morſu, Natura, gemino quaſi ſtimulo laceſſita, utrumque, catharticum ſcilicet & humorem allectum excutit, foraſque eliminat.

III.

PURGATIO vulgò audit pravi humoris per loca naturæ normâ & lege commoda evacuatio. Hæc ſæpè αὐτομάτως, ductuque ſuo & conatu vires ſuas colligens, & facto velut agmine, quicquid vitiosè ſe habet aut ſuperfluit, id omne è corpore expurgare novit, abſque ulla ope Medici & medicamenti; quos enim ſponte Natura perſanat fruſtrà Medicina fatigat. Verùm ſæpiſſimè ſupervacaneorum, humorum crebrò vitioſorum iliade obſeſſa, ſub quibus tanquam ſub pondere gemit, & anxiè premitur, indiget artificiosâ purgatione, hæc op-

portunè à Medico juvante præscribitur ; hujus interventu Natura in suo opere peragendo aut impedita, aut segniùs versata, excitatur, juvatur, & ad everrendas has sordes penitusque excludendas impellitur. Ad hunc optatum finem pervenitur, modo Catharticis, modo Emeticis; sed his minùs tutò, minúsque accommodatè naturæ motibus, cùm vomitu ventriculus convellatur, & præterea conditiones omnes ad ejus usum requisitæ raro & difficulter occurrant. Purgatio summâ cautione instituí debet, hæc multæ est & difficilis operæ : purgans enim medicamentum vi æstuosâ & deleteriâ potens, quo valentius est, eò graviùs agitat & mordet : hinc plurimorum deploranda calamitas, qui malè consulti valentiora pharmaca indiscriminatim usurpant, mitiora deserunt, cùm hæc plerumque multoties repetita, majori securitate minorique perturbatione vim effrenatorum compensent, & frequentissimè superent, absque ullo metu malæ intemperiei inurendæ visceribus, nisi morbus præceps aut mali moris aliquando ea exigat, & cunctationem omnem respùat : neque leviter Natura juvatur, commodiùsque humor vitiosus commovetur & ejicitur, dum benefico madore contemperatur, quâ temperatione placidè fertur ad exitum, & liberiore cursu proruit.

IV.

VETERIBUS Balneum aquæ dulcis fuit admodum familiare & penè quotidianum, quod ad voluptatem tantum & vitæ delitias paulo studiosiùs institutum fuerat, eoque in pretio habitum, ut aliquando septies in die se lavasse Patricii Romani gloriarentur. Ex his vitiorum delinimentis, hæc lavatio mutata est & abiit in salubriores usus, qui ad sanitatis tutelam & morborum depulsionem mirificè valerent; egregias etenim in se dotes continet, quas sui indigentibus liberaliter procurat, modo juxta leges Naturæ, juxtáque regulas sanitatis, morbique mores, sano quoque Medentis consilio adhibeatur in usum. Graviter autem peccat in rem ægrotantium, qui Balneum præscribit iis, in quibus inest principis cujusdam visceris imbecillitas, sive sit naturalis, sive à morbo præcedente profecta, sive inclinans & impendens nondumque etiam genita ; periculum enim est, ne in partem jam infirmam & effœtam, aut proximè ad statum male validum vergentem, vitiosus humor fortè decumbens, novas affectiones accersat ; seriò quoque perpendendum, num aliqua subsit in primis venis cruditas, juncta cutis densitati, horrorem quippè excitaret, & horror febrem aut pareret, aut intenderet : num quoque adsit hypochondriorum durus renitensque tumor sensibilis, qui aut inflammationem, aut scirrhum argueret : hisce & plerisque aliis pro re natâ neglectis cautionibus, læsio non levis inferretur lavantibus. His impedimentis subtractis, vis longè maxima balnei, tum in morbis præcavendis, tum curandis persentitur : vi suâ blandâ ideo confert, quia corporis habitum humectat, tepore suo cutis spiracula reserat, quibus reseratis patentior sternitur via fuliginosorum excrementorum expirationi, & hærens intus & in cute colluvies impura foras exturbatur ; Spiritibus igneis & catulientibus impingit compedes, nec exiguum præbet solatium colico dolore vexatis, nephriticis, scabie, & acerbâ libidine fœdatis. Balneo demum corpus ad purgationem paratum fit & εὔροον, & tanquam fotu salutari humor vacuandus, mitior & dilutior redditus, tutiùs ejicitur. Infinitæ demum aliæ commoditates ex hujus usu manant, quas intra breve temporis momentum eo demersus percipit, & se beari gaudet.

V.

NOVUM non eſt aſſerere purgans medicamentum quodlibet, ſemel ſumptum, ventriculo, inteſtinis, viciniſque aliis quas attingit partibus, laborem parere, eaſque aliquando concutere graviter, torſionibuſque moleſtis fatigare: ſed novum eſt dubitare, minori negotio & multò tutiùs fructuoſiùſque, purgans illud in Balneo partes ſuas agere, & ſuaviùs auxiliari. Cacochymia quippe educenda, largior cumulata in corporis penetralibus, morâ diuturniori facta craſſior, firmiter impingitur; Eâ ſaburrâ & partes aluinæ regionis turgent, & corpus univerſum degravatur, eademque fit plurimarum obſtructionum, ac proindè infinitarum penè ægritudinum procreatrix individua: calor quoque peregrinus partibus hiſce interioribus inuſtus, ex ſordium iſtarum putredinis vitio infectarum contagio, perniciem clanculùm infert vix eluendam. Balnei gratiâ & privilegio impuri illius humoris expurgatio feliciter ſuccedit, contumax licet & indocilis dominium pati, redditur ſequacior; craſſior quoque viſcidus & tenaciter adhæreſcens, emollitur diluiturve; viæ publicæ laxantur & patent; intemperies calida, cui ſociam ſe præbet ſiccitas, edomatur, ut & ea quam creat medicamenti purgantis vis æſtuans; obtunditur feritas & morſus humoris exultantis: demum, lentus nimium moleſtæ purgationis exitus maturatur blandis aquæ perfuſionibus, cujus vis etiam altiores corporis receſſus, nec non & anguſtiora loca ſubit, in quibus tanquam in carcere humor ille jamdiu detentus reſidebat: expeditior paratior & ad fluxum factus aptior, prorſus eximitur, facilè cedens & quaſi ad nutum obſequens medicamento purganti. Sic obliterato, nulloque hujus cacochymiæ ut & cathartici ſuperſtite veſtigio, ſerenitas advenit, ſua redit corpori facies, ipſiuſque decor genuinus renovatus, luculentum præbet completæ & innocuæ purgationis argumentum.

Ergo felicior & tutior in Balneo Purgantium uſus.

Domini Doctores diſputaturi.

M. Philippus Bernardus de Bordegaraye.
M. Jacobus Simon Gilles de la Riviere.
M. Ludovicus Lemery, è Regiâ Scientiarum Academiâ.
M. Petrus le Tonnellier.
M. Jacobus Minot, Sereniſſimi Ducis Borbonii Medicus ordinarius.
M. Joannes Gaillard.
M. Guydo-Eraſmus Emmerez.
M. Michaël de Hodencq.
M. Poncius Maurin.

Proponebat Pariſiis CLAUDIUS BERGER Pariſinus, Baccalaureus Medicus, è Regiâ Scientiarum Academiâ. A. R. S. H. 1700.

Apud FRANCISCUM MUGUET, Regis & Facultatis Medicinæ Typographum.